

Anno 1854 in fodinis Hába-Sz.-Simon haud procul oppidum dacicum ALBURNUS (hodie Roşia Montana) sitis complures tabulae ceratae repertae sunt¹. Una ex his est tabula museo historico Clusiense (Cluj) adservata. Eam H. J. Finály primus edidit a. 1861. Editioni imaginem photographica quam vocant Daguerreotypie (D) et alteram ligno expressam (L) adiecit. Deinde a. 1873 Th. Mommsen hanc tabulam denuo in medium protulit adiuvante Carolo Zangemeister (CIL III, p. 948 n. 10). Editor apographum fecit pendentem ex imagine photographica Clausenburgo (Clusio) missa². Coniecturae quas quidem V. Arangio-Ruiz a. 1943 dedit in apographum, de quo modo dixi, redeuntur³.

Lectionem Caroli Zangemeister retractavi. Fundamentum huius editionis est exemplar imaginis photographicae. Tabulam amplius quam centum annis adservatam pluribus locis commutatam esse apparuit. Quod tum Finály et Zangemeister per facile viderunt nunc mutilum est; aliud melius cernere possumus. In litteris legendis ita versatus sum ut imprimis rationem imaginis photographicae haberem. Litterae quae in D vel L leguntur linea subscriptae sunt. Haud rari quidem sunt loci, quibus apographum scripturam antea conservatam esse ostendat.

Tabulam transcriptam sequitur explicatio. Si tabulam ceratam adhibueris fieri potest ut nonnulla supplementa facienda sint.

- 1 Macrino et Celso cos. XIII kal. Iunias Flavius Secundinus scripsi rog[at]us a Mem-
- 2 mio Asclepi, quia se li[er]as s[ic]ire negavit, it quod dixit se locase [et] locavit
- 3 operas s[ua]s opere aurario Aurelio Adiutori e[x h]ac die [i]n idu[s] Novembres
- 4 proximas [X]s[e]ptaginta liberisque X [HS. Mer]c[ede]m per [t]empora accipe[ere]
- 5 debebit. Qu[as] operas sanas v[ale]ntes [ed]e[re] debebit conduct[ori] s.s.]
- 6 Quod si invito condu[ct]ore decedere aut c[es]sare volue[rit] dare]
- 7 [d]ebebit in dies singulos [H]S V num(mos) (a)ere octus[is] (is) c[on]duct[or]i. [Si laborem]
- 8 [fl]uor inpedierit, pro rata c[on]putare de[bebit] c[on]duc[tor]. Si t[em]po-
- 9 re peracto mercedem sol[v]endi moram fecer[it, ead] em po ena]
- 10 tenebitur exceptis cessatis tribus.

¹ De eo plus: Finály, *Az Erdélyi Múzeum-Egylet Évkönyvei 1* (1861) 83s. CIL 3, 929.

² Addenda CIL 3, 1058.

³ Fontes iuris romani anteiustiniani, pars tertia negotia, Florentiae 1943, n. 150a, p. 466.

Actum Immenoso maiori

Titus Beusantis
qui et BraduaSocratio Socra-
tionis

Memmius Asclepi

Ad lin.:

1. Perspicue post 'X' quattuor notae legi possunt; ultima paululum brevior neque tamen ad 'kal.' pertinet.
2. Non lit[teras] ut adhuc legitur, sed lit[eras] quia lacuna usque ad imam partem litterae s quae sequitur patens duabus tt brevior est.
4. Post 'liberisque' superior pars litterae X exstat. E loco mutilo qui sequitur duae lineae eminent quarum forma talis est ut ea ad notam HS referenda sit (exempla notae HS in multis chirographis pompeianis inveniuntur, cf. CIL 4 Suppl.). Haec omnia alibi subtilius disseram.
5. Qu[as] cf. litterarum forma linea tertia: operas s[ua]s. Vide etiam CIL 3 p. 948 n. 9 lin. 5 et CIL 3 p. 949 n. 11 lin. 10.
6. Decedere: ima pars ductus litterae d discerni potest.
7. Ad hoc Röhle, *Studia et documenta historiae et iuris* 33 (1967). Supplevi [Si laborem]; nam [quod si] lacunam non explet.
8. Ad verbum finitum 'debebit' nomen 'conductoris' pertinet. Tabellio nomen conductoris in finem legis ponere solebat (v. lin. 5, 7).
12. Subscriptiones exceptor ipse in obliquum infra verba contractus posuit.

Cassalae

ROBERT RÖHLE